



probari posset, coelum in ordine ad Deum incorruptibile non esse, si liceret.

QUÆSTIO VI.

Quæritur quid Recentiores sentiant de Cælo?

- I.** Recentiorum Philosophorum aliqui Gassendum sequuntur, qui veterum, Democriti cum Prælois & Epicuri, sententiam recoxit; aliqui Cartesium, qui supposita eorundem Veterum de corpusculis s. particulis & moleculis tanquam rerum naturalium principiis constitutivis sententiâ, generalem quandam hypothesein excogitavit & in ea modum operandi per universam naturam speciosè satis assignavit. Illi cœlo per se nullam materiam tribuunt, sed nudum esse spatium dicunt, in quo tum Terra cum circumfuso sibi aëre consistat, tum stellæ cum similibus atmosphæris sibi circummixtis disseminatæ sint, & motus suos coercant: nisi quod effluvia utrorumque corporum, ut dicuntur, mundanorum continuis, præsertim quibus lumen spargitur aut reflectitur, spatium illud maximam partem repletum esse concedant, relictis tamen inter latera molecularum ejusmodi transeuntium spatiolis inanibus, pro libero tum effluviarum tum ipsorum corporum mundanorum motu. Et ad hanc sententiam ante Gassendum etiam Celeberrimi Astronomorum Tycho & Keplerus propenderunt. Ipse vero Gassendus Sect. 2. lib. 1. Cap. 1. pluribus eam rationibus confirmat.
- II.** Qui Cartesium sequuntur, cœlum pro substantia mobili agnoscunt, nec ullum in mundo vacuum intermissum ne dum interruptum concedunt. Cœli materiam autem dicunt congeriem molecularum subtilissimarum globosâ figura præditarum, omnem tamen visus aciem de se fugientium, quæ constipatim & contiguè sic ordinatæ quemvis impetum ipsis impressum, & imprimis eum, quò retina nostrorum oculorum sub ratione lucis & colorum afficitur, quæqua verum

sum